

IN ACTVM PO  
ETICVM HENRICI ECARDI  
NORIBERGENSIS AMICI  
SVI OPTIMI CARMEN  
GRATVLA-  
TORIVM.



Scriptum & recitatum à M. Hiero-  
nymo Lauterbachio.

C Vra fuere Ducum quondam Regumq; poëtæ  
Cum suus ingenuis artibus esset honor.  
Quas non diuitias? quos non accepit honores?  
Ornauit scriptis qui pia facta librī.  
Et nunc quis dicer castas frigere Camoenas,  
Contemptæ quamuis delituere diu?  
Præmia quanta sacros maneant hoc tempore Vates,  
Vel satis exemplo lux hodierna docet.  
Restaurat Cæsar F E R D N A N D V S Apollinis artes,  
Restaurat Vatum præmia digna choro.  
M A X I M V S instituit quos A M I L I A N V S honores,  
Hos iterum gaudet vatibus ipse dari.  
Huc omnem confers quoq; Maxmiliane laborem,  
O similis proavo nomine reg; tuo.

Sceptra

Sceptra Bohæma tua qui dum virtute gubernas,  
Auxilio Musas consilioq; iuuas.  
Sic coluere sacras semper, pia numina, Musas;  
Quos tulit Austriadum splendida terra Duces.  
Hos igitur grati mérito celebremus honore,  
Quorum nulla ætas non memor esse potest.  
Tu quoq; Gymnasij celeberrime Rector E D E R E  
Æterno semper nomine dignus eris.  
Herculeos nostra pro libertate labores,  
Quod perfers, tanti quam triguere Duces.  
Quodq; nouem sub te Phœbus reuocasse sorores,  
Fertur, & antiquos instituisse choros,  
Ut repetant dulces consueto carmine cantus,  
Hactenus in multos quæ tacuere dies.  
Pieridumq; chorum, Nymphas, Dryadesq; puellas,  
Nectere quis dubitat Laurea ferta manu?  
Errantes miscent hederas pulchrosq; Hyacinthos,  
Quos foecunda suo tempore terra fouet.  
Ut capiant omnes sua præmia digna labore,  
Qui pectus studijs excoluere bonis.  
Palladiæ nunquam virtuti præmia deérunt,  
Præclaras artes sponte sequetur honos.  
Hoc docti & celebres passim sensere Poëtæ,  
Senserunt alij conspicuiq; viri.  
Qui vel doctrina vel qualibet arte probati,  
Ingenij tandem dona tulere sui.

Hoc

Hoc quoque senserunt naturae arcana docentes,  
Quique Poëtarum scripta sacrata colunt.  
Vel qui scrutantur motus & sydera cœli,  
Vel Sophiae campus quæ spacioſus habet.  
Terra eadem ueluti pariter non omnia profert  
Plusue minusue alio res venit una loco.  
Nam locus hic prodest frumento, vitibus alter,  
Aptus & hic pecudum pascua ferre gregi.  
Hoc sterili consurgit humo, hoc in pinguibus aruis,  
Hoc semen ualles, hoc iuga montis amat.  
Sic quoque non studio cuncti capiuntur eodem  
Ingenij sequitur semina quisque sui,  
Et sua quo tendit natura reducit alumnum,  
Assueraque frui quemlibet arte finit.  
At tu qui sequeris castas Eccarde Camœnas,  
Pro studijs merito præmia digna capis.  
Dum caput ex lauri contexta fronde Corona,  
Ornari iussit pulcher Apollo tuum.  
Quam quondam CELTES circu sua tempora Vates  
Gessit, & hoc nutu Maxmiliane tuo.  
Gratulor ipse tibi primum patriæque tuisque  
Cognatis, nostræ gratulor inde scholæ.  
Perge bonis auibus doctas celebrare Camœnas,  
Sic tua perpetuo fama perennis erit.

F

IN